
DET KGL. BIBLIOTEK
3,- lol,- 4°

Hans Knudsen Veile:
(Johannes Canutus Danus)

Theses theologicæ de Anti-
christo,


Leiden 1594.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

3,-101,-4°
(LN bis 143)

DA BOX

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

THESES THEOLOGICÆ
DE
ANTICHRISTO,

Quas

Favente Deo opt. max.

ſub præſidio

CLARISSIMI DOCTISSIMIQVE

S. Theologiæ Doctoris

D. FRANCISCI IVNII

aſſerere conabor

Iohannes Canutus Danus.

IX. Novemb. An. CIↃ. IↃ. XCIV.

Hora & loco ſolitis.



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex officina Ioannis Paetſij.

ANNO CIↃ. IↃ. XCIV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

REVERENDISS. ET CLARISS.

S. Theologiæ Doctorib. & Profeſſorib.

totique inclytæ Academiæ Haffnienſis Senatui lectiſſimo, præceptorib. & mecœnatib. meis Colendiſs.

Has de Antichriſto Theſes debitæ obſervantiæ & gratitudinis ergô dedico Conſecroque

IOHAN. CANVTVS VELLEJVS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
1977 K 1591

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

THESES THEOLOGICÆ
DE ANTICHRISTO.

Theſis I.

ANTICHRISTVS aut Chriſti loco vices agentem, aut Chriſto parem ſignificat, aut adverſanté Chriſto. Atque hæc propria eſt vocis in ſacra Scriptura ſignificatio. I. Quæſtio. de nomine.

II.

Hoc ſenſu dicitur duobus modis: uno communi, & ſingulari altero.

III.

Communi modo Antichriſti in Scripturis appellantur, quicunque inde a tempore Apoſtolorum cæleſtem Chriſti doctrinam nefariè corruperunt, eique ſive universè, ſive ex parte adverſantur.

IV.

Singulari modo Antichriſtus appellatur, homo ille peccati, filius perditionis, princeps & caput apoſtaſiæ, qui ſeſe opponit & effert adverſus omne quod dicitur Deus aut numen, & in templo Dei ſedet tamquam Deus, præ ſe ferens ſe eſſe Deum.

V.

Ac diabolus quidem propriè quoque Antichriſtus eſt: ſed nos cum Scriptura deinceps de principe diaboli inſtrumento, & ἀποςασίας capite dicturi ſumus, quod in hominibus excitavit.

VI.

Hic igitur Antichriſtus ſive ἀντικείμενος, non unum quoddam individuum ſolum & ſingularem hominem numero ſignificat, ſed unum inſtituto & ſucceſſionis ordine: qui homo peccati communiter & perditionis filius appellatur. II. Qu. An ſit Antichriſtus unus homo.

VII.

Cum enim eſſe, operari, retegi, oppugnari, fundi Antichriſtum, & aboleri tandem oporteat adventu ſecundo Chriſti; qui unum ſingularem numero eſſe putant, allucinantur plurimum: quandoquidem illa non ſunt paucorum annorum geſta; unius autem hominis vita pauculorum annorum eſt.

IIX.

Etſi quæ de Antichriſto hoc in Scripturis prędicantur, duobus modis intelligenda ſunt: propriè, quum de ipſa principe perſona agitur ſolùm: aut ſynecdochicè, quum de ipſa agitur adminiſtriſque ipſius: quod corpus aliquoties Pſeudopropheta appellatur.

IX.

Atque ex eo ſequitur nec tempus adventus ipſius, nec tempus exitii certis momentis per nos definiri poſſe, cum tempus durationis cuiquam eſſe compertum non poſſit. III. Qu. De tempor adventus & mortie ejus.

X.

Nam ut de tempore adventus dicamus priore loco, ſi illud definiendum eſt, aut ab eo momento definiendum eſt quo cæpit eſſe, & operari, aut retegi.

XI.

Eſſe Antichriſtus cæpit atque operari, inde a Chriſti & Apoſtolorum tempore: nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

re: nam dicit Ioannes jam nunc in mundo eſt, 1. Ioan. 4. 3. & Paulus 2. Theſ. 2. 7. jam operatur myſterium iniquitatis.

XII.

Sed ut nemo eſt repente peſſimus, nec ſtatim homo peccati & filius perditionis exſtitit, nec ſtatim erupit illius apoſtaſia, quæ a Paulo in eo loco exponitur: ſed omnia ordine ſuo conſequuta ſunt.

XIII.

Retegi autem Antichriſtus tum demum cæpit, quum & ipſe exſtitiſſet, & apoſtaſiam illam excitaſſet: nam retegi ante ab hominibus qui potuiſſet, cùm ne retectus quidem a multis agnoſci poſſit.

XIV.

2. Theſſ. 2. 6. & 7. Exſtitit autem & duravit aliquo tempore, ſed latens: quià obſtabat Chriſtus, uſque dum e medio ſublatum eſſet velamentum ipſius, ut ſuo tempore retegeretur. *Apoc. 11. 7.* Fuit enim prius beſtia in abyſſo degens atq; incognita, quæ poſteà aſcendens ex abyſſo importavit publicè apoſtaſiam.

XV.

Apoc. 11. 7. Apoſtaſiam verò importavit, quum auctoritatem omnem divini & humani *Apoc. 13. 12.* ordinis ſibi aſſumens, Prophetaſque Dei & teſtes extinguens, fecit ut omnes *Apoc. 13. 16.* magni & parvi divites & pauperes liberi & ſervi characterem ipſius præter characterem Chriſti acciperent.

XVI.

Quæ apoſtaſia non uno die nata, ſed paulatim innecta, paulatim radicata, paulatim augeſcens atque confirmata, tandem conſummetur.

XVII.

Tum ergo paulatim quoque retecta eſt, & adhuc retegitur apoſtaſia & princeps illius ἄνομος, quem Dominus conficiet Spiritu oris ſui, & abolebit claritate adventus ſui.

XIIX.

Errant igitur errore non levi, qui adventum Antichriſti tribus annis & ſex menſibus demum ante conſummationem ſeculi futurum tradunt, cancellos anguſtiſſimos tyrannidi ampliſſimæ illius circumſcribentes.

XIX.

Locus enim ille Apoc. 12. 14. de muliere, id eſt, priſca Eccleſia volante a conſpectu ſerpentis per tempus, tempora & dimidium temporis ſpatium illud denotat quo pii a graviſſima illa ultimaque defectione Iudeorum ad urbis & templi Hieroſolymitani excidium uſque in regno Agrippæ latuerunt.

XX.

Quòd ſi tantum tribus annis & dimidio Antichriſtus rerum potiturus eſſet, hunc verò adveniens delebit Chriſtus 2. Theſſ. 2. 8. facile quivis tempus adventus Chriſti prænoſceret definiretque: quod tamen ſibi & toti hominum generi, & ipſis Angelis ignotum teſtatur eſſe Matth. 24.

XXI.

Errant conſimiliter qui Eliam Theſbilen & Enocum ante adventum Chriſti huc reverſuros e cælo fingunt: & a Malachiæ Prophetæ ac Ioannis Apoſtoli mente abſunt longiſſimè.

XXII.

Nam Malachias non de illo priſio Elia propriè: ſed de altero figuratè dixit; ut Chri-

ut Chriſtus interpretatus eſt, & Angelus Luc. 1. 17. ipſe præcedet in conſpectu Domini cum ſpiritu & virtute Eliæ.

XXIII.

Ioannes verò Apoc. 11. 3. quum duorum illorum teſtium mentionem facit, non Eliam & Enocum nominavit, aut duo quædam ſenſit individua ſolum, ſed exiguum ſervorum Dei numerum ſignificavit, qui Antichriſto obſtiterunt, ut eventus ipſe optimus oraculorum interpres commonſtravit.

XXIV.

De ſingulari nomine ac proprio Antichriſti ex Scriptura ſacra aliquid ſolidè ſtatui negamus poſſe. IV. Quæſt. de nomine ejus.

XXV.

Per numerum enim nominis Antichriſti, cujus in Apoc. 13 28. mentio, non certa aliqua ratio nominis ipſius quo appelletur, ſed certa comprehenſio ſignificatur myſteriorum ejus, & ſummus iſtius comprehenſionis ac diſciplinæ gradus: ut defectionum principes ſuos διασώτας conſcios habere ſolent.

XXVI.

Cùm enim hunc numerum beſtia doceat, det, imprimat, ut ſuorum notam, eamque faciat maximi, & ex ea recognoſcat ſuos: nō poſſumus quin numerum illum nominis diverſo ſenſu accipiamus ac vulgo factum eſt.

XXVII.

Quæ de generatione Antichriſti a variis variè ſunt tradita, probare non poſſumus. V. Quæſt. de gente ejus.

XXVIII.

Ex tribu Dan naſciturum eſſe, nec Scriptura nec ratione confirmari poteſt: & jam ex Pontificiis quidam ſententiam hanc exploſerunt.

XXIX.

Nec Iudæum fore, aut a Iudæis ſuſcipiendum pro Meſſia, ulla Scripturæ auctoritate docemur.

XXX.

Nam quod Apoſtolus 2. Theſ. 2. 11. Deum miſſurum dicit efficaciam deceptionis ut credant homines mendacio, ut damnentur omnes qui non crediderint veritati, id non ſolum de iis dicitur qui externam profeſſionem Euangelii nunquam exercuerint, ſed de iis etiam qui veritatē non ſic amplectuntur ut ſalvi fiant, licet Chriſtiani nominentur & χριςιανισμὸν profiteantur publicè.

XXXI.

Quemadmodum in urbe deficiente a juſto domino ſuo per aliquos principes ἀποςασίας, ſunt qui non agnoverunt dominum, ſunt qui non conſtanter agnoverunt, ſed acquieſcunt injuſtitiæ: ſunt boni qui agnoſcunt & gemunt de injuſtitia ſeque ab ea ſubtrahunt.

XXXII.

Sedem Antichriſti cōſideramus duobus modis, communiter, & ſingulariter. VI. Quæſt. de ſede ejus.

XXXIII.

Ac ſingulariter quidem ſedem illius fore templum Hieroſolymitanum qui autumant, fallūtur plurimùm, quia Paulus 2. Theſ. 2. 4. certum locum ſedemque non deſignavit templi Dei appellatione.

XXXIV.

Quod ſi daremus locum ſingularem eſſe, tamen non poſſet de templo Hieroſoly-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

roſolymitano ex veritate accipi: quia ne templũ quidem eſt, nedum Dei templum: & deſolatio illius (ut Dani.9.legitur) ad conſummationem uſque & finem mundi duratura eſt.

XXXV.

Sedem ergo Antichriſti Babylonem eſſe convenit ex Apocalypſi: ſed eam aut proprié aut figuratè dictam.

XXXVI.

Propriè Babylon dicta nō eſt ſedes Antichriſti: id omnes uno ore agnoſcunt, & Ioannes docet, quum in fronte ejus inſcriptum eſſe docet, myſterium, Babylon illa magna, &c. Apoc. 17.

XXXVII.

Eſt ergo Babylō figuratè dicta Antichriſti ſedes, quam tribus notis ſuo tempore notiſſimis Ioannes circumſcribebat, auctoritatis, inſidentium, & ſitus: Auctoritatis, quod cunctis terræ populis imperabat: Inſidentium, quod Imperatores habebat incolas quorũ feriem notat evidentiſſimé. Situs denique, quod ſeptem montibus eſſet impoſita.

XXXVIII.

Communiter Antichriſti ſedes eſt templum Dei, quod Deus vindicat præſentia ſua.

XXXIX.

Eſt autem Dei præſentia in templo duplex: una ſigni, per vocationē externam teſtata, altera beneplaciti, per vocationem internam in vivis lapidibus ejus.

XL.

Proinde templum Dei ratione ſigni eſt Chriſtianus orbis qui vulgo dicitur: ratione verò beneplaciti eſt corpus ex fidelibus Chriſti membris adunatum. Quod autem ſigni eſt id videtur: quod beneplaciti, creditur & intelligitur.

XLI.

In hoc templo apoſtaſiam qui facit, beneplacitum abdicat, & ſignum vindicat ſibi, ut verè Antichriſtus ſit: ac proinde communiter templum Dei, ut hypocrita falſarius obtinet prętendens ſigna & ſpecioſos titulos Domini; at ſingulariter ut apoſtata perſequitur, templum divinæ εὐδοκίας.

XLII.

Quapropter qui a furoribus illius diſcedunt, nihil contra pietatem aut veritatem Eccleſiæ veniunt: quia Antichriſtus ſigna quidem præfert ſed veritatem eripit: pii verò ad pietatem contendunt in veritate, quam ille nec cum ſignis exhibet, nec haberi ſinit.

XLIII.

Nec contra unitatem Eccleſię veniunt, ſed Antichriſtus ipſe: qui ut immanis lupus graſſatur in ovili Chriſti non exiſtens de ovili, quod unum ſemper eſt ſub paſtore uno.

XLIV.

VII. Quæſt. de doctrina ejus.

Doctrinæ Antichriſti tria præcipuè capita in ſacris literis obſervamus, ad apoſtaſiam pertinentia.

XLV.

Primum ex 1. Ioan. 2. negat Ieſum eſſe Chriſtum, non apertè (nam hypocrita ſimul & apoſtata eſt) ſed ἐκ πλαγίου evertens officium beneficiumque Chriſti.

Negat

XLVI.

Negat enim non modò qui primum tollit, ſed periculoſius negat etiã quiſquis id evertit quod ex primo neceſſariò conſequitur.

XLVII.

Secũdò extollit ſe ſuper omne quod dicitur Deus & omne numẽ, 2. Theſ. 2.4.

XLVIII.

Atque hoc is facit qui ſe extollit ſupra veritatem, aut domum veritatis ejus: quæ duo neceſſaria ſunt attributa Dei ad gratiam ejus pertinentia.

XLIX.

Nec quicquam de idololatria illius detrahit quod ſupra πᾶν σέβασμα ſe elaturus dicitur: nam aliud eſt efferre ſe ſupra quicquid colitur, aliud nullum omnino idolum colere, aut colendum proponere: & qua colendum proponit, etiam ſupra illud elatus eſt, ut ſcitè Tertullianus in Apologe argumentatus eſt.

L.

Neque huc facit quod Dan. 11.37. dicitur non attendet ad Deum ullum: id enim de Antiocho propriè, nõ de Antichriſto dictum: etſi ſecundum rationem communem exemplorum omnium accommodari Antichriſto poteſt.

LI.

Quòd ſi de Antichriſto etiam placeret accipi, id tamen nõ everteretur quod dicitur ibidem ſeq. verſu, Deum Mahozim in ſede ejus honorabit, &c.

LII.

Tertiò oſtentabit ſe ὅτι ἐϛί θεός, non Deum omnem ἁπλῶς negando præ ſe, & naturam divinam ſibi tribuendo, ſed factis ſeipſum Deo vero, ut apoſtaſiæ princeps domino facit, adæquãdo, auctoritatemq; divinã impudẽter ſibi vindicãdo.

LIII.

Hoc autem is facere poteſt quàm commodiſſimè, qui ſe Deum & Chriſtum colere ſimulat, ſeque miniſtrum Dei & vicarium Chriſti eſſe profitetur ſpecioſiſſima ſimulatione.

LIV.

Ad miracula quod attinet, docet Apoſtolus 2. Theſ. 2.9. & 10. futurum Antichriſti adventum κατ' ἐνέργειαν Satanę cum omni potentia & ſignis ac prodigiis mendacibus & cum omni fraude injuſtitiæ. VIII. Qu. De miraculis ejus.

LV.

Eorum finis duplex: unus, ut qui pereunt, fallantur efficaciter & mendaciis credant, quia εὐδόκησαν in injuſtitia: alter, ut divinam auctoritatem quam uſurpavit Antichriſtus commendet, faciatque his modis ut videatur illa auguſtior.

LVI.

Duo autem præcipua iſtorum genera recenſet Ioannes Apoc. 13. unũ, quod ignem e cælo in terram ſit demiſſurus: alterum, quod animaturus ſit imaginẽ beſtiæ, & ita animaturus ut tum loquatur reſpondens conſulentibus, tum mortem immorigeris nec ipſam adorantibus pronunciet.

LVII.

Horum ſignorum exemplis ad ſtabiliendam idololatriam & animas seducendas factorum plenæ ſunt ab aliquot centuriis annorum hiſtoriæ.

LVIII.

Tertium miraculum quod vulgo affingitur, fore ut ſe mori & reſurgere ſimulet, omni probabilitate caret.

Quamvis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

LIX.

Quamvis enim Apoc. 13. 3. curanda dicatur beſtia ſepticeps a plaga capitis unius cæſi lethaliter, tamen res ipſa evincit non de Antichriſto agi, qui per ſecundam beſtiam magis notatus eſt, ſed de Nerone in quo ſtirps illa Cæſarum exciſa eſt.

LX.

IX. Quæſt. de regno & præliis ejus.

De regno vero & præliis Antichriſti nihil melius quam ex Apoc. 13. & ſequentibus adferri poteſt: quæ ex Danielo adferũtur, omnia ſunt ἀλληγορούμενα. proinde nihil concludentià.

LXI.

Ejuſmodi ſunt Dan. 11. 21. ex humilimo loco prodeuntem illum fraudibus & technis adepturum Iudæorum regnum: item ex Dan. 7. 8. & 11. 43 cum Regibus tribus pugnaturum, & occupaturũ eorum regna: poſtremi ex Dan. 7. 24. ſubacturum alios ſeptem Reges, & Monarchia totius mundi hoc pacto potiturum: quæ de Antiocho & aliis dicta ad Antichriſtum allegoricè tracta ſunt.

LXII.

Sanctè igitur agnoſcimus, Antichriſtum Eccleſiæ totis viribus vim facere, & Satanam ſolutum vinculis, teſte Ioanne Apoc. 20. 8. Gog & Magog. occultos & apertos hoſtes in ſanctos excitare:

LXIII.

Sed etſi potentiam beſtiæ prioris poſterior ſibi aſſumptura eſt, negamus tamẽ regnum ejus ſimpliciter ſeculare (ut vocant) eſſe aut deinceps fore, ſed primò & propriè ſpiritualem poteſtatem, ſecularem verò & temporalem per conſequentiam uſurpationem.

LXIV.

Demonſtrat illud non obſcurè Paulus 2. Theſ. 2. quum illum in Dei templo ſeſſurum pronunciat: apertiſſimè verò confirmat Bonifacius 8. Extravag. Commun unam ſanctam, & majoritate & obed. dicens, Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis: ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercẽdus: ille ſacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad patientiam ſacerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati, & quæ ſequuntur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 143 [3,-101]